

CAPUT XVIII.

Preparanda pro benedictione cinerum in feria quarta initio Quadragesimæ, Episcopo celebrante, vel non celebrante, sed præsentate Quid observandum, si publice pœnitentes expellendi sint. Diaconus et Subdiaconus utuntur planetis plicatis ante pectus. Ordo procedendi ad Ecclesiam, et benedicendi cineres, cantandi Orationes, et imponendi singulis eosdem cineres. Oratores Regum et Principum post Canonicos paratos cineres accipiant. Magistratus et laici post omnes de clero. Impositione cinerum expleta, Episcopus lavat manus, et Orationem cantat. Missæ hujus diei quomodo Episcopus assistat, quoties, ubi, et quando genuflectat. Quæ observanda, si Episcopus velit solemniter celebrare.

1. Quarta feria ante primam Dominicam Quadragesimæ, quæ a cinerum aspersione, *Cinerum* appellatur, quia Officium et Missa est de feria; altare, et tribuna et omnia simplicius parantur, quam in festis solemnioribus; et si Episcopus non sit Missam celebraturus, nulla paratur mensa, sive abacus a cornu Epistolæ, ut alias, sed tantum parva mensula a latere Evangelii, ubi ponuntur vasa pro abluendis manibus, cum mica panis, mappa pro abstersione manuum, et altera ponenda super genibus Episcopi in distributione cinerum; vas autem aquæ benedictæ cum aspersorio, et thuribulum cum navicula, poterunt poni super angulo altaris; et super eodem altari in medio ponitur parvum vas argenteum cum cineribus mundis ex ramis olivarum, benedictis anni præteriti combustis: item paramenta pro Episcopo suo ordine, coloris violacei, prout in die Purificationis B. M. V. ita ut dictum vas non cooperiant, nec impediant.

2. In Ecclesiis, ubi viget consuetudo expellendi solemniter pœnitentes, servetur forma in Pontificali Romano posita, præsertim in casibus gravioribus.

3. Hora competenti Canonicus celebraturus Missam cum Diacono et Subdiacono capiunt paramenta violacea. Diaconus et Subdiaconus utuntur planetis ante pectus plicatis, et expectantes adventum Episcopi, sedent in aliquo scamno, pro ipsis parato ac viridi panno cooperto, a latere Epistolæ; cui adveniendi assurgunt, et faciunt reverentiam; Canonicus celebrans videlicet, caput profunde inclinando, ministri vero genuflectentes, si non sint Canonici.

4. Episcopus associatus more solito ad Ecclesiam, factisque consuetis orationibus, stans apud sedem suam, accipit paramenta eodem ordine, quo in die Purificationis B. M. V. dictum est; et pariter omnes Canonici capiunt sua, prout ibi dictum fuit.

5. Quibus paratis, Subdiaconus, qui est cantaturus Epistolam in Missa, sive alius ex Beneficiatis Ecclesiæ, paratus planeta violacea, ante pectus plicata, accedit ad altare cum debitis reverentiis; et capit vas illud cum cineribus, ambabus manibus, quod elevatum portat ante Episcopum, ubi genuflexus, illud retinet usque in finem distributionis, ad dexteram Episcopi.

6. Tum Episcopus, accedente Capellano cum libro, et altero cum candela, assistentibus Diaconis hinc inde, legit sedens Antiphonam *Exaudi nos, Domine, etc.*, qua cum Psalmo repetita, deposita mitra, surgit, et manibus junctis, dicit *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, ac Orationes benedictionis cinerum, quæ sunt quatuor, prout in Missali.

7. Quibus finitis, et jam ante eum stantibus, Presbytero assistente parato, et Acolythis cum thuribulo, navicula, et aspersorio cum aqua benedicta, imponit incensum in thuribulum, more solito aspergit et thurificat cineres triplici ductu.

8. Tum sedet sine mitra, et sine bireto; et Canonicus celebraturus Missam, solus accedit ad eum, facta altari et Episcopo reverentia, et imponit cineres in caput ipsius sedentis, dicens: *Memento, homo, quia pulvis es, etc.*

9. Quo facto, Episcopus accipit mitram, et extenditur

super ejus gremio mappa munda per duos Acolythos, et imponit cineres eidem Canonico celebranti, ante se inclinato, dicens: *Memento, homo, etc.*, ut supra. Celebrans, acceptis cineribus, sine osculo manus Episcopi, revertitur ad suum locum.

10. Tunc incipiunt venire omnes Canonici parati ad capiendos cineres, eodem modo, incipiendo a dignioribus, cum debitis reverentiis altari et Episcopo; et chorus incipit *Immutemur habitu, etc.*, cum sequentibus.

11. Si quis Prælatus alias supra Canonicos stare, vel sedere soleat, ei dabit Episcopus cineres stanti; si aliquis Princeps, vel Oratores Regum, vel Principum maximorum, aut Rerumpublicarum liberarum laici adessent, capiunt hac die cineres post Canonicos paratos: Magistratus vero et Officiales, ac alii laici post omnes de clero.

12. Quod sic observatur hac die, et feria sexta in Parasceve in adoratione crucis, ut ibi dicitur, ex antiqua laudabili Ecclesiastica disciplina, propter humilitatem, quæ in hoc actu representatur iis diebus. Ideoque promptius, libentiusque laici in his cedere debent omnino Ecclesiasticis, prout etiam respective observantur per Imperatores, Reges et Principes, quando sunt præsentés in Capella Sanctissimi Domini nostri Papæ.

13. Prælati et Canonici parati, capiunt cineres inclinati: reliqui vero, tam clerici, quam laici genuflexi; et omnes sine osculo manus, cum commode osculum exhiberi nequeat in hoc actu.

14. Datis cineribus, Episcopus sedens in eodem loco, lavat manus, more solito; mox deposita mitra, surgit, et cantat manibus junctis *Dominus vobiscum: Oremus* et Orationem *Concede nobis, Domine, etc.*, ad quam more solito veniunt duo Acolythi cum candelabris et cereis accensis, et, finita Oratione, discedunt.

15. Quibus expeditis, si Episcopus non est celebraturus Missam, prout regulariter hac die non solet, Canonici omnes deponunt sua paramenta; Episcopus autem retinebit sua

paramenta, quod magis conveniens est, vel illa deponet, et accipiet cappam, prout magis libuerit, observans tamen regulam superius traditam; et descendens de sua sede, faciet confessionem cum celebrante; qua finita, revertitur ad suam sedem, ubi statim cum ministris et cæremoniis solitis imponit incensum in thuribulum, et thurificatur altare per celebrantem, et mox ipse celebrans.

16. Tum Episcopus legit Introitum ex libro, et dicit *Kyrie eleison* cum Canonicis in circulo stantibus; et celebrans in Missa dicit tres Orationes, prout in Missali, in æquali cantu feriali: et antequam dicatur *Dominus vobiscum* ante primam Orationem, Episcopus descendet e solio ad faldistorium, in quo, simul ac eo pervenerit, deposita mitra, genuflectet ad *Oremus*, omnibus pariter cum eo genuflectentibus, exceptis celebrante, Diacono et Subdiacono, qui in hac Missa non genuflectunt, nisi ad Versiculum *Adjuva nos, Deus, etc.*, ut infra dicitur. Dicta ultima Oratione, Episcopus surgens, et accepta mitra, redit ad sedem suam, et iterum antequam inchoetur Versiculum *Adjuva nos, Deus, etc.*, descendet ad faldistorium, et genuflectit, retenta mitra, sic manens usque ad finem versus, genuflectentibus etiam celebrante ac ministris altaris.

17. Quo versu dicto, et non prius, Diaconus cum solitis ministris, deposita jam planeta plicata, et eadem, vel alia jam involuta et complicata super sinistrum humerum, et super stolam posita, et sub ejus brachio stricte cordulis colligata, ne decidat, accedit ante ultimum gradum sedis Episcopi, et ab ipso sedente petit benedictionem pro Evangelio recitando; quo finito, Episcopus deosculatur textum Evangelii, sibi a Subdiacono delatum, et adhuc stans sine mitra, a Presbytero assistente thurificatur.

18. Tunc accedit, qui sermonem vel concionem habiturus est, et petit benedictionem et Indulgentias ab Episcopo; et alia fiunt prout in *Cap. xxii. Lib. I. de concionibus* et sermonibus explicatum fuit.

19. Finita Præfatione, et dicto per Episcopum cum Canonicis, ad circulum venientibus, *Sanctus, Sanctus, etc.*, iterum Episcopus descendit ad faldistorium, et ibidem genuflectit, et deponit mitram, sic manens usque ad *Per omnia sæcula, etc.*, ante *Pax Domini, etc.*, et tunc mitratus revertitur ad sedem suam, et iterum deposita mitra, dicit *Agnus Dei*, cum Canonicis, qui similiter veniunt ad circulos. Subdiaconus in hac Missa sustinet patenam, prout in aliis Missis; et Diaconus et Subdiaconus cantaturi Evangelium et Epistolam respective, deponunt planetam, et osculantur manum Episcopi, prout in Dominicis Adventus.

20. Post Communionem, antequam celebrans dicat *Dominus vobiscum*, Episcopus iterum descendit ad faldistorium, permanens genuflexus, ut supra, ad omnes Orationes, quæ post Communionem dicuntur. Dicta ultima post Communionem, Diaconus vertit se ad populum, et dicit Versiculum *Humiliate capita vestra Deo*, Episcopo et aliis genuflexis manentibus, et capita inclinantibus: finita ultima Oratione, Episcopus cum mitra revertitur ad sedem suam, et ibidem dat benedictionem solemnem more solito.

21. Quæ dicta sunt superius circa genuflexiones ad Orationes, et post Præfationem, servabuntur in omnibus aliis Missis ferialibus, tempore Quadragesimæ et Vigiliarum, præsentem Episcopo.

22. Si vero Episcopus vellet hac die solemniter celebrare, finita Oratione post cinerum aspersionem, sedet aliquantum, et mox surgens sine mitra, incipiet *Deus in adjutorium, etc.*, pro Nona; et cum inchoatur Psalmus *Mirabilia testimonia tua, etc.*, sedet cum mitra, et legit Psalmum *Quam dilecta, etc.*, et interim imponentur eidem sandalia, Canonicis et aliis omnibus remanentibus paratis.

23. Finita Nona, ut alias, Episcopus lavabit manus cum cæremoniis consuetis, prout finita Tertia in aliis Missis, per ipsum celebrandis; et dum lavat manus, accedet Presbyter assistens cum pluviali, et adjuvabit, incipiendo servare Episcopo in officio assistentiæ. Lotis manibus, Diacono

Evangelii, et Subdiaconus parati usque ad planetam exclusive absque manipulis, induent Episcopum paramentis Missalibus, adjuvantibus duobus Diaconis assistentibus, cum planetis plicatis ante pectus.

24. Parato Episcopo, Diaconus et Subdiaconus capient planetas plicatas et manipulos pro Missa, et fiet processio ad altare, et inchoatur Missa, in qua omnia servantur, quæ in *Cap. VIII. hujus Lib. II. de Missa solemnem*, Episcopo celebrante, explicata sunt, exceptis his, quæ hac die particulariter faciendæ sunt; ut supra narratum est.

25. Ante primam Orationem Episcopus non dicet *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*, et cum dicitur Versiculum *Adjuvate nos, Deus, etc.*, Episcopus genuflectet, non in faldistorio, sed apud sedem suam. In reliquis omnia fient ut supra explicatum est, et prout dicitur in dicto *Cap. VIII. de Missa solemnem*, Episcopo-celebrante.

CAPUT XIX.

In Collegiatis, et absente Episcopo, Feria quarta cinerum, celebrans et ministri, ubi, et quibus paramentis induantur. Quæ præparanda ab Acolythis super altare. Ordo benedicendi cineres, et eos singulis imponendi.

1. Eadem omnia, quæ superius in *præcedenti Capite* expressa sunt, exceptis his, quæ ad Episcopum pertinent, præparentur et servantur, absente Episcopo, et in Ecclesiis Collegiatis, paucis infrascriptis mutatis.

2. Nam celebrans parabitur cum ministris in sacristia, et accedet ad altare cum debitis reverentiis, ut dictum fuit in *Cap. XVII. hujus Lib. II. de festo Purificationis B. M. V. absente Episcopo*.

3. Ministri vero erunt hac die, tam in benedictione cinerum, quam in Missa cum planetis plicatis, quæ, quando

tempus erit, in Missa deponent et reassument, juxta regulas traditas in *Capitibus* de Dominicis Adventus, et de Dominicis Quadragesimæ.

4. Vas cum cineribus collocabitur super altare a latere Epistolæ, vas autem cum aqua benedicta et aspersione, ac thuribulum cum navicula et incenso, ponentur in angulo altaris super parva mensa. Celebrans, stans in cornu Epistolæ, benedicit cineres, prout in Missali, et imponet incensum, et illos asperget aqua benedicta, et thurificabit, prout de candelis dictum fuit. Et similiter, finita benedictione, medius inter Diaconum et Subdiaconum stabit, et Diaconus tenet vas cum cineribus.

5. Tunc accedit dignior Sacerdos de choro, et cineres celebranti, capite inclinato, imponet, dicens: *Memento homo, quia pulvis es, etc.*, et statim celebrans eidem digniori stanti, capite similiter inclinato ante ipsum celebrantem, cineres imponet; mox Diacono et Subdiacono paratis, si sint Canonici, et cæteris Canonicis per ordinem; qui omnes in habitu Canonicali, capite inclinato, stantes, a celebrante cineres accipient; Beneficiati, seu Mansionarii, et clerici, et cæteri omnes genuflexi.

6. Finita distributione, celebrans, deposito pluviali, lavabit manus private in angulo altaris, et statim, accepta planeta in plano ad cornu Epistolæ, incipiet et prosequetur Missam prout in Missali, servatis, circa genuflexiones, ad Orationes et ad Versiculum *Adjuva nos, Deus, etc.*, omnibus quæ in *precedenti Capite* expressa sunt.

7. Post Evangelium fiet sermo, seu habebitur concio, nulla tamen petita per sermocinaturum benedictione.

CAPUT XX.

Quæ observandæ sint in Dominicis Quadragesimæ circa altarium, Ecclesiarum, ministrorum ornatum, cæremonias Missæ, et cantum.

1. In Dominicis Quadragesimæ eadem omnia serventur, tam circa ornatum Ecclesiæ, et paramenta altaris ac ministrorum, quam circa cæremonias in Missa, quæ superius expressa fuerunt in *Cap. XIII. hujus Lib. II.* de Vesperis et Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio, præsentate Episcopo, celebrandis.

2. Quæ autem ibidem dicta sunt, de Dominica tertia Adventus, circa paramenta altaris et ministrorum, observantur eodem modo in quarta Dominica Quadragesimæ.

3. Ad primas autem Vesperas Dominicæ, quæ de Passione dicitur, cooperiantur, antequam Officium inchoetur, omnes Cruces et imagines Salvatoris nostri Jesu Christi per Ecclesiam; et super altare nullæ ponantur imagines Sanctorum.

4. Cantores vero ab hac Dominica quinta Quadragesimæ usque ad Pascha, excepta feria quinta in Cœna Domini, non utantur cantu figurato, sed Gregoriano.



CAPUT XXI.

Ordo Officii in Dominica palmarum. Altaris ornatus qualis esse debeat. Præparanda pro benedictione palmarum. Quis earum ornatus. Ordo in benedictione et distributione earum servandus. Palma Episcopo, a quo et quomodo tradenda. Ordo processions et Missæ hujus diei. Numerus et munus eorum, qui cantaturi sunt Passionem. Quomodo astantes ad Passionem stare debeant. Ritus cantandi verba Altera autem die in tono Evangelii.

1. Officium in Dominica palmarum, hoc est, benedictio et distributio illarum, ac deinde processio, simile est fere in omnibus Officio, quod fit in die Purificationis beatæ Mariæ Virginis, in benedictione et distributione candelarum, et demum in processione. Remissius tamen aliquanto hac die paratur altare et tribuna, quam illa.

2. Præparantur igitur in mensa apud altare et sedem Episcopi, ut de candelis dictum fuit, palmæ, seu rami olivarum benedicendi, inter quos, si palmæ haberi non possent, ornentur et aptentur aliquot ex dictis ramis olivarum, flosculis et parvis crucibus de palmarum foliis compositis, ut speciosiores cæteris appareant, pro Episcopo, Canonicis et magistratibus: et saltem, palmæ perquirantur pro Episcopo, Prælati et majoribus magistratibus, aut aliquibus magnis viris, si aderunt. Abacus quoque a latere Epistolæ, ea omnia, quæ in dicta die Purificationis B. M. V. enumeravimus, continens, accommodetur.

3. Super altari etiam ponentur eadem paramenta, pro Episcopo, eodem ordine, ut ibi dictum fuit: ante altare pallium violaceum. Custodes etiam, si opus erit, adhibeantur, qui populi pressuram cohibeant.

4. Episcopus hora competenti, eodem modo et ordine, cum cappa veniet ad Ecclesiam, orabit, ascendet ad sedem

suam, capiet paramenta, et pariter Canonici, prout ibidem latius explicatum fuit. Quibus expeditis, cantatis Epistola et Evangelio, prout in Missali, ab iis ministris, qui in Missa ministraturi sunt: et iis omnibus, quæ cantantur ab Episcopo in sua cathedra sedente, lectis, adhuc stans in sua sede sine mitra, incipiet benedictionem palmarum, manibus junctis, dicens *Dominus vobiscum*, Capellano librum sustinente; deinde cantans Orationes, et in tono feriali incipiens ab ea, videlicet *Auge fidem, etc.*, tum Præfationem, et alias quinque Orationes sequentes.

5. Cum dicitur quinta Oratio, videlicet *Deus, qui per olivarum, etc.*, accedunt duo Acolythi, unus cum thuribulo et navicula; alter cum vase aquæ benedictæ et aspersorio ad Episcopum cum debitis reverentiis; qui, dicta per eum sexta Oratione, videlicet *Benedic, quæsumus, Domine, etc.*, imponit thus in thuribulum; cum solita benedictione aspergit palmas, et thurificat, ministrante Presbytero assistente parato, ut ibi; tum adhuc stans eodem vocis tono dicit *Dominus vobiscum*, et septimam Orationem, videlicet *Deus, qui Filium tuum, etc.*, qua completa, sedet, et accipit mitram.

6. Tunc dignior ex Canonicis præbet ei palmam pulchriorem, acceptam de manibus Sacristæ, vel alterius ad id deputati, osculando palmam et manum, quam Episcopus tradit tenendam alicui suo Capellano: nec refert, an dicta palma pro commoditate Episcopi sit brevior, vel longior cæteris, dummodo sit pulchrior ornatu: ponitur deinde mappa, per Acolythos ex abaco allata, super gremio Episcopi, quam ipsi hinc inde genuflexi, tenent usque ad finem distributionis palmarum; et elevantur hinc inde fimbriæ pluvialis ipsius per Diaconos assistentes. Episcopus tunc incipit palmas distribuere Canonicis et aliis eodem ordine, prout de candelis dictum fuit; et chorus tunc incipiet Antiphonam *Pueri Hebræorum, etc.*

7. Finita distributione, Episcopus more consueto lavat manus; accedunt ad eum duo Acolythi ceroferrarii cum can-

delabris ac cereis accensis; ipse vero, deposita mitra, surgit, et cantat ex libro *Dominus vobiscum*, deinde Orationem ultimam, videlicet *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*

8. Qua finita, sedet, accipit mitram, ponit thus in thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente et Acolyto; et dicto per primum Diaconum *Procedamus in pace*, ordinatur per Cæremoniarium processio circum Ecclesiam eodem ordine, prout ibi dictum fuit, et omnes gerunt suas palmas in manibus; Episcopus autem illam sinistra defert, et dextera benedicit. Exire debet processio extra portam Ecclesiæ; et antequam crux processionis ingrediatur dictam portam, præveniunt aliqui cantores, illam ingredientes, et mox claudentes, et versus ipsam processionem cantantes Versiculum *Gloria laus, et honor, etc.*, respondentibus aliis cantoribus extra portam, prout traditur in Missali.

9. Cantatis omnibus Versiculis, vel eorum parte, prout tempus et occasio postulabit, Subdiaconus portans crucem, tangit cum illius hasta portam, quæ statim aperitur, et processio ingreditur, choro cantante Antiphonam *Ingrediēte Domino, etc.*

10. Interim Canonicus, Missam celebraturus, cum Diacono et Subdiacono debent esse parati: et remota mensa, Canonici, ingressi chorum, deponunt paramenta et palmas, quas resumunt, dum cantatur Passio et Evangelium.

11. Proceditur ad Missam, et omnia observantur, prout in dicta die Purificationis beatæ Mariæ Virginis dicitur, sive celebraturus sit Episcopus, sive non, ut ibi.

12. Differentia erit tantum, quod Diaconus et Subdiaconus hac die utuntur planetis ante pectus plicatis, et observant regulam, illas deponendo et accipiendo, prout supra in *Cap. XIII. hujus Lib. II. de Vesperis et Missis in Dominicis Adventus* dictum fuit.

13. Cum Subdiaconus in Epistola pronuntiabit verba illa *Ut in nomine JESU omne genu flectatur*, Episcopus et omnes usque ad terram genuflectunt, et permanent genuflexi usque ad illa verba *Et infernorum, inclusive.*

14. Tres, qui Passionem sunt cantaturi, dum cantatur Epistola et Tractus, parantur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola ab humero sinistro pendente, coloris violacei, in sacristia; et circa finem Tractus procedunt a sacristia hoc ordine.

15. Antecedit Cæremoniarius, tum ille, qui Evangelistæ personam agit, portans sibi librum, deinde, qui turbarum, ultimo, qui Christi, sequentibus tribus Capellanis cum cottis sine candelabris et sine incenso: et factis altari et Episcopo debitis reverentiis, accedunt ipsi tres ad osculum manus Episcopi, eodem ordine; nullam tamen petunt benedictionem; deinde descendunt ad locum, ubi cantant Passionem versus cornu Evangelii, seu in pulpito, secundum consuetudinem Ecclesiarum. Et Capellani tres antedicti stant contra illos, quorum qui est medius, tenet librum, quem inter se mutuam æquali spatio, dum recitatur Passio, prout Cæremoniarius eos prius admonuit, et in ipso actu, cum tempus est, eisdem significat nutu.

16. Cum Passio inchoatur, celebrans cum suis assistentibus legit Passionem, tenens palmam in manibus, et stans in cornu Epistolæ: et Episcopus et omnes surgunt, delecto capite, palmas manibus tenentes usque ad finem Passionis, in qua, dum recitatur *Jesus autem exclamans voce magna emisit spiritum*, Episcopus in sua sede, et omnes in suis locis genuflectunt, etiam ipsi cantores et Capellani; deinde surgunt, et is, qui Evangelistam agit, perficit suam lectionem, iisdem comministris astantibus, ut prius: qua finita, Episcopus sedet, accipit mitram, deposita palma.

17. Tum Diaconus Evangelii, deposita planeta, eaque, sive alia duplicata super humerum sinistrum posita, et sub brachio dextero colligata, portat librum ad altare, mox vadit ad osculum manus Episcopi, ducente Cæremoniario, et revertitur ad altare, dicens genuflexus *Munda cor meum, etc.*

18. Interim Episcopus, ministrante Acolyto, vel Cære-

moniaro ac Presbytero assistente, imponit incensum more consueto.

19. Diaconus cum libro ante pectus, præcedentibus thuriferario, et duobus Acolythis sine candelabris, subsequente Subdiacono, petit benedictionem, incensat librum, et cantat Evangelium *Altera autem die, etc.*

20. Ad elevationem solus Episcopus tenet palmam: cætera fiunt ut in aliis Missis.

CAPUT XXII.

Altaris ornatus, ac cereorum numerus et qualitas pro Matutinis tenebrarum. Archiepiscopus et Episcopus quomodo ad Ecclesiam accedant pro peragendis Matutinis tenebrarum. Ordo inchoandi Matutini, dicendarum Lectionum, et extinguendi cereos in triangulari candelabro. Quando et quomodo abscondatur extremus cereus triangulari. Quomodo terminetur Matutinum. Episcopus extremam Orationem dicit. Frigor quando fiat. Sedes Episcopi, altare, tota tribuna et pavementum in his tribus Matutinis sint denudata. Qua hora hæc Officia perficienda sint.

1. Post Dominicam palmarum nullæ occurrunt solemnitates, quæ indigeant speciali declaratione, ante Officium tenebrarum: nam licet tertia et quarta feria celebrari soleat Missa sollemnis, et infra eam decantari Passio Domini nostri Jesu Christi, celebrabitur secundum ritum et cæremonias, quæ observari solent in diebus ferialibus, prout superius declaratum fuit, præsentem, vel absentem Episcopo.

2. Passio autem recitabitur, prout in præcedenti Dominica dictum fuit, tam quoad habitum et numerum ministrorum, quam quoad alias cæremonias.

3. Ipsa vero quarta feria hora vigesima prima, vel circa, Episcopus veniet cum cappa ad Ecclesiam, sequentibus Canonicis: et ingrediens Ecclesiam cooperit sibi caput capu-

tio cappæ; et si erit Archiepiscopus, non defertur crux ante eum in Matutinis horum trium dierum.

4. Ecclesia autem, tribuna, altare et sedes Episcopi poterunt remanere parata, prout fuerunt Dominica præterita, seu aliquanto parcius, vel remissius, et a latere Epistolæ ponitur candelabrum triangulare, accommodatum ad sustinendos quindecim cereos cere communi, singulos ponderis unius libræ, vel circa; qui paulo ante adventum Episcopi accenduntur simul cum cereis altaris, ex eadem cera communi.

5. Episcopus, factis solitis orationibus, sibi ipsi trahens cappæ caudam per terram, accedit ad suam sedem, nullo sibi tunc Canonico assistente, sed tantummodo aliquibus Capellanis cum cottis circa eum stantibus. Quod si magis placeret accedere ad chorum apud Canonicos, esset laudabile.

6. Postquam Episcopus aliquantulum quieverit in sua sede, surgit, surgentibus omnibus, et detecto capite, dicit versus altare secreto *Pater noster, Ave Maria, et Credo* usque ad finem: tum sibi ipse caput tegit eodem caputio, et sic stat, quousque ad ejus nutum chorus dixerit Antiphonam *Zelus Domus tuæ, etc.*, qua finita, et incepto Psalmo, sedet, et Capellani aptant fimbrias cappæ: similiter Canonici et alii omnes sedent.

7. Finito quolibet Psalmo, Cæremoniararius, vel aliquis Capellanus, accedit cum debitis reverentiis, et cum instrumento, apto ad extinguendum, ad candelabrum triangulare, et extinguit cereum in illius extremitate positum a latere Evangelii; deinde in fine alterius Psalmi alterum ab aliò latere, et sic successive alternatim ab utroque latere, singulos cereos extinguit in fine cujuslibet Psalmi, tam primi, quam sequentium Nocturnorum et Laudum.

8. Finita Antiphona tertii Psalmi, in quolibet Nocturno, post Versiculos Episcopus surgit, surgentibus omnibus, caput detegit, et finito Responsorio, dicit secreta totum

Pater noster, ut prius; quo finito, tecto capite sedet, sedentibus omnibus.

9. Tunc cantores accedunt cum debitis reverentiis altari et Episcopo, ad legile præparatum in medio chori, seu ad locum consuetum, secundum consuetudines Ecclesiarum, et ibi cantant Lamentationes, quibus finitis, ac factis reverentiis altari et Episcopo, recedunt.

10. Lectiones secundi et tertii Nocturni cantant vel ipsi cantores, vel Canonici pro more Ecclesiarum, incipiendo a junioribus, singuli singulas.

11. Ad *Benedictus* Episcopus surgit, detecto capite, surgentibus omnibus, et cum dicitur Versiculus *Ut sine timore, etc.*, Cæremoniarius, seu aliquis Capellanus cum instrumento apto extinguit singulatim ad quemlibet Versiculum singulos cereos altaris, alternatim incipiendo a cornu Evangelii, et pariter omnia alia luminaria, si qua sunt per Ecclesiam, extinguuntur, præterquam ante SS. Sacramentum, ita ut in fine *Benedictus* reperiantur omnia extincta.

12. Cum repetitur Antiphona post *Benedictus*, Cæremoniarius, sive alius Capellanus, removet ex candelabro triangulari unicum cereum accensum, in summitate trianguli positum, eumque accensum, elevata manu, sustinet super cornu Epistolæ altaris; et cum inchoatur *Christus factus est pro nobis, etc.*, illum sic accensum abscondit retro altare, vel alio modo.

13. Episcopus autem, dum prædicta Antiphona repetitur, descendit a sede, et dum inchoatur *Christus factus est, etc.*, genuflectit super faldistorio præparato ante altare, omnibus genuflectentibus, et postea chorus incipit sub silentio *Pater noster*; mox Psalmum *Miserere mei, Deus, etc.* modulata sed flebili voce.

14. Quo finito, Episcopus genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato, vel ex libro, vel memoriter recitat clara voce Orationem *Respice, quæsumus, etc.*, usque ad *Qui tecum exclusive*, quod secrete complet.

15. Qua Oratione finita, Cæremoniarius manu scabellum,

seu librum percutiens, per breve spatium, strepitum fragoremque facit, et a cæteris similiter fit, donec Cæremoniarius cereum prædictum accensum, qui fuerat absconditus, in medium proferat, quo prolato, omnes cessare debent a strepitu.

16. Finito strepitu, Episcopus et omnes surgunt, et recedunt eodem modo et ordine, quo venerant.

17. Eadem servantur in duobus sequentibus Matutinis tenebrarum; hoc tantum excepto, quod altare, sedes Episcopalis, et tota tribuna ac pavementum sint penitus denudata: poterit tamen in sede Episcopi adhiberi pulvinar, pro ejus commoditate, si voluerit; et advertatur, ut Officium perficiatur hora tarda, hoc est, scle occidente.

CAPUT XXIII.

Quæ præparanda sint pro Missa et Officio feriæ quintæ in Coena Domini. Sacellum pro recondendo SS. Sacramento, et altare, quomodo ornandum. Quo ordine Episcopus ad Ecclesiam hac die procedat. Altera ex duabus hostiis consecratis, quando et quomodo reponatur. Communio generalis totius cleri fiat. Ritus genuflectendi apud altare post Communionem, et perficiendi Missam hujus diei. Ordo inchoandæ processionis, ponendi incensum in thuribulis, tradendi per Diaconum SS. Sacramentum in manibus Episcopi. Quomodo in processione procedatur, et SS. Sacramentum collocetur. Benedictio Episcopalis quando danda. Si Episcopus non celebret, ille tamen SS. Sacramentum ad præstitutum Sacellum deferat.

1. Quia hac die plura occurrunt Officia in Ecclesia Dei peragenda, scilicet, pœnitentium reconciliatio, Oleorum consecratio, Missa, processio, ac repositio SS. Sacramenti, ac demum Mandatum; subjungimus ea tantum, quæ ad